

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

Desiderii

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

tota virtute : atque utinam omni momento te ferventius semper amarem ! Hoc est ardens desiderium meum , huc feruntur gemitus mei , & suspiria cordis mei. Ad te enim trahis omnes vires animæ meæ , dum te ipsum transfundis in me : dum quantum fieri potest me similem tui facis : dum esurientem animam meam non cibo aliquo terreno , sed pretioso corpore & sanguine tuo nutris , satias , & saginas. Pro hac tua ineffabili largitate amo te, Deus meus , & ut nunquam cessem amare te , amorem meum teipso inflamma , qui esca & pabulum amoris es. O ignis jugiter ardens , & nunquam deficiens , ure renes meos & cor meum , ut ardeant amore tui. Ignem venisti mittere in terram , accende illum & eventila , ut semper crescat. Te enim amabo , si amandi vires præbueris , & eo amplius amabo , quo ubiorem amandi gratiam infuderis : numquam tamen te amabo , ut dignus es.

## DESIDERII.

**Q**uemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum , ita desiderat anima mea ad te , Salvator meus Domine Jesu : desiderat , inquam , anima mea accedere ad te , teque offerre Deo Patri , ac de fontibus salvationis tuæ vinum lætificans in gaudio haurire. Sitio enim Domine , lassatus in via iniquitatis , sitio te Deum meum venam aquarum viventium , sitio sanguinem tuum , quem mihi in potum mirabiliter tribuisti. Ad te venio , & clamo post te liberatōr meus , esuriens & sitiens : miserere mei fili David , & da mihi panem tuum , da vinum quod miscuisti , ut refocilletur anima mea. Atque utinam possem omnium Sanctorum affectus & inflammata desideria habere , teque semper sitire fontem vitæ , fontem sapientiæ , fontem æterni luminis , torrentem voluptatis. Utinam te semper esuriat cor meum panem Angelorum , refectionem animarum sanctorum , & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ ! Renuit consolari anima mea , donec suscipiam te omne bonum meum , Domine Jesu , quem

Pp iij

solum ardentissimè concupisco cum omni affectu & de-  
votione omnium electorum tuorum tecum epulantum in  
mensa tua , quorum divitias offero tibi in supplementum  
inopie meæ. Esto tu solus gaudium meum, tranquillitas  
mea , refectione mea & thesaurus meus , in quo mens mea  
quiescat. Nihil desiderem extra te , & omnia mihi viles-  
cant præter te Deus meus dulcedo mea , & unicum cen-  
trum cordis mei.

## GRATITUDINIS.

**Q**uis sum ego bonitas infinita , ut me sacris altaribus  
astare volueris, tibique offerre de donis tuis sanctum  
sacrificium hostiam immaculatam ? Unde inveni hanc  
gratiam in oculis tuis ut ostenderes in me divitias miseri-  
cordię tuæ ? Venite & audite omnes Angeli & Sancti  
Dei , & narrabo vobis quanta fecit Dominus animæ meæ.  
Nam cum essem abjectus in domo mea , de pulvere erexit  
me , & constituit me cum Principibus populi sui ut co-  
mederem panem & biberem vinum in mensa sua omnibus  
diebus vitæ meæ. Quas ergo tibi gratias agam, clementissime  
Jesu , Salvator Mundi , aut quid retribuam tibi pro  
omnibus quæ tribuisti mihi ? Verè enim de te sponso  
Ecclesiæ illud Canticorum intelligitur. *Si dederit homo*  
*omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil*  
*dipiciet eam.* Tu omnia quæ habes mihi largitus es, cor-  
pus, sanguinem, animam, & divinitatem tuam : & si ego  
tribuam tibi omnem substantiam domus meæ , corpus,  
animam, & libertatem cum omnibus quæ nunc habeo  
vel habere possum, hoc quasi nihil reputabitur compara-  
tione immensi , & inæstimabilis doni tui. Tantum tibi  
debeo , quantum ipse vales , qui infinitus es : quare de-  
bitum meum omnem meam facultatem excedit. Audeo  
ramen rogare te , quia benignus , & misericors es , & tu  
nosti paupertatem meam , audeo rogare te , ne despicias  
munusculum quod tibi offero in simplicitate cordis mei  
dicens cum sponsa , *Dilectus meus mihi , & ego illi.* Nam